

13

THESES DE JURE NATURALI,

ET GENTIUM DEFFENDENDAE

IN ISIDORIANO COLLEGIO

HISPALENSI

AB ANDREA A VILA

IN EODEM COLLEGIO COLLEGA,

SUPPETIAS ILLI FERENTE

MICHAELE BRUNENQUE,

SACRAE THEOLOGIAE

IN EODEM SEMINARIO PROFESSORE P.

DIE DECIMA APRILIS IPSI ISIDORO SACRA, SOLE AD OCCASUM INCLINANTE.

ANNO A PARTU ILLIBATAE VIRGINIS M.DCCCIX.

HISPALI.



TYPOGRAPHIA PRIMA.

ISIDORO. VIRO. SANCTISSIMO
ANTISTITI. HISPALENSI. VIGILANTISSIMO
DOCTORI. TOTO. ORBE. CELEBERRIMO
HISPANIARUM. PRIMATI. MERITISSIMO
PATRONO. NOSTRO. COLENDISSIMO

SUBJECTAS PROPOSITIONES
DE JURE NATURALI, ET GENTIUM
IN OBSEQUII, ET DEBITI OFFICII TESTIMONIUM
DEMISSO ANIMO OFFERIMUS, DICAMUS,
SACRAMUS.

Michael Brunenque, *et Andreas á Vila.*

PRAEFATIO.

NULLUS dubito plures futuros, qui mirentur a Theologiae Proffesore de Jure Naturali, et Gentium publicum certamen parari, atque etiam existiment hujus rei tractationem Philosophorum, atque Jurisconsultorum propriam esse, non Theologorum. Sed suo certe falluntur judicio; nam Juris Naturalis tractatio usque adeo Theologi propria est, ut nemo unus absolutus Theologus esse possit, nisi hujus juris doctrinis fuerit imbultus. Non nego Philosophorum, atque Jurisconsultorum esse de hoc jure inquirere; sed non id obstat quominus juris naturalis scientia Theologorum sit etiam provincia. De rectitudine humanorum actuum, atque defectu rectitudinis eorundem judicare ad Theologum spectat, qui nisi penitus cognoscat leges, quibus actiones humanae regulantur judicium de eis ferre non poterit. Omne enim officium ab aliqua obligatione proficiscitur, obligatio autem quaelibet a jure vel Naturali, vel Divino Possitivo, vel Humano. Si autem res testimoniis Doctorum Theologorum agenda foret, et veterum et recentiorum nubem possem proferre. Qui in suis Theologicis institutionibus de hoc Jure ex instituto tractarunt.

Ut patet ex Angelico Doctore Sancto Thoma Aquinate, cujus Summae Theologicae Secunda Secundae doctrinam Juris Nàruralis et quidem solidam tradit. Patet idem ex Francisco Victoria, Thoma de Vio vulgo Cajetano a patria Cajeta ita dicto, Dominico de Soto, Suarezio, Vasquezio, et aliis. Cum ergo ad Theologum spectet juris Naturalis tractatio, et hodierna die aliquas propositiones disputandas de more proponere statutis nostris tenerer, visum est mihi de nullo alio Theologiae capite eas depromere nisi de Jure Naturali, tum quia ejus studio usque adeó semper fui delectatus, ut non parum temporis et laboris impenderim in evolvendis hujus argumenti libris, tum etiam quia ex aliis capitibus Sacrae Theologiae assertiones in publicis certaminibus passim disputentur, hujus vero argumenti doctrina, saltem quod ego sciam, numquam tractetur. Quae sint hujus silentii caussae, etsi non me lateat, nolo tamen hic eas exponere. Neque est, cur ego multum inquiram circa aliorum agendi rationem, modo de mea certus sim. Nunc amice lector, quicumque sis, assertiones nostras de Jure isto lege, et tuo daefacatissimo judicio eas perpende. Vale amice, et Fave.

GENTES quae legem non habent naturaliter quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.... Apostolus ad Romanos cap. 2. vv. 14 15.

In quae verba sic habet Glossa :

Si non habent legem scriptam, habent tamen naturalem, qua quilibet intelligit, et conscius est quid sit bonum, et quid sit malum

Ne sibi aliquid homines defuisse quererentur, scriptum est in tabulis quod in cordibus non legebant; non scriptum non habebant, sed legere nolebant. Stus. Aurelius Augustinus in Psalmum 57.

Quae agenda, quaeve fugienda sunt, nullus improbus ignorat. Aristoteles 3. lib. Ethicorum.

Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium, jubendo; vetando, á fraude deterreat: quae tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per po-

pulum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia post hac: sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi caetera supplicia, quae putantur, effugerit. Marcus Tullius Cicero lib. 3. de Republica apud Firmianum Lactantium lib. 6 Divinarum Institutionum cap. 8.

Jetez les yeux sur toutes les nations du monde; parcourez toutes les histoires: parmi tant de cultes inhumains et bizarres, parmi cette prodigieuse diversité de moeurs et de caracteres, vous trouverez les memes Idées de justice et d'honnéteté; par-tout les mémes notions du bien et du mal. L'ancien paganisme enfanta des dieux abominables, que on eût punis ici comme des scelérats, et qui n' offroient pour tableau du bonheur supréme, que des forfaits á commettre et des passions á contenter: mais le vice, armé d'une autorité sacrée, descendoit en vain du sejour

éternel; l' instinct moral le repoussoit du coeur humain. En célébrant les débauches de Jupiter, on admiroit la continence de Xenocrate. La sainte voie de la nature, plus forte que celle des dieux se faisoit respecter sur la terre:.... il est donc au fond des ames un principe inné de justice, et de vertu sur le quel, malgré nos propres maximes, nous jugeons nos actions et celles d'autrui comme bonnes ou mauvaises. Jean Jacques Rousseau. Emile tom. 3.

DE JURE NATURALI GENERATIM.

1. IN omnium hominum mentibus existit lex naturalis á Deo impressa. »Signatum »est super nos lumen vultus tui Domine." inquit David. (a)

2. Stat aliquod principium cognoscendi hanc legem, quod vocant cognocitivum; sed quodnam illud sit acriter ab hujus scientiae tractatoribus controvertitur. Tot sunt sententiae quot capita. Joannes Gottliebus Heineccius illud principium esse amorem docens, rem acu tetigisse nobis videtur, atque ejus senten-

(a) Psal. 4. v. 7.

tia Sacris Litteris est conformis. »Diliges do-»minum Deum tuum, ex toto corde tuo, et »ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, »et ex omni mente, et cogitatione tua; et »proximum tuum sicut te ipsum: inquit Ser-»vator noster Christus, atque ab istis duobus praeceptis totam legem pendere rotundé pronuntiat. (b) Et Paulus plenitudinem legis esse dilectionem perspicué docet. (c)

3. Haec autem Lex est prorsus immutabilis, ita ut nullam mutationem, nullamque dispensationem admittat. »Lex naturalis est "ipsius aeternae Legis, atque adeo summae »et immutabilis rationis divinae in mentibus »hominum facta transcriptio." Inquit Aurelius Augustinus. (d)

4. Prima hujus Legis principia atque conclusiones, quae ex iis proximé deducuntur, á nemine insuperabili ignorantia ignorari possunt; bené vero quae ex primis principiis remote derivantur, »Theologi omnes concordi-»ter docent ignorantiam Legis naturae nemi-»nem excusare á transgressione illius Legis." Scribit Alphonsus de Castro. (e) Et Contenso-

(b) Matt. cap. 22. w. 37. 38. 39. 40.
(c) Ad Rom. cap. 13. v. 10.
(d) Lib. 83. quaest. q 53.
(e) Lib. 2. de Potestate Legis poenalis c. 2.

nius: »juxta doctrinam Patrum, Augustini, »Bernardi, Aquinatis, sole ipso clariorem, »dicendum est omnem juris naturalis igno-»rantiam esse vincibilem, et culpabilem....Id »pluribus demonstravimus." (f)

5. Falsa omninó est Protestantium sententia asserentium Sacras Litteras non esse consulendas, ubi agitur de investigandis veritatibus Juris Naturalis. Sacrae enim Litterae veritates a Deo revelatas continent, qui homines duabus quasi viis alloquitur, rationis nempé, et revelationis: nil autem aliud eos alloquitur quam veritatem, veritas ergo cum veritate non pugnat. Est enim Deus verax, et non ut homo ut mentiatur.

6. Optimi hujus juris Magistri sunt Scholastici, si rei essentiam spectemus, stilus enim illorum non est elegans et pollitus. Fatetur id Grotius his verbis: »Scholastici quantum »ingenio valeant, saepé ostendunt.... ubi in re »morum consentiunt, vix est, ut errent." (g) Ad eundem feré modum loquitur Leibnitius: »Scholastici, inquit, curarunt, pro Christiana »Religione utiliter impendere quod in Ethnica

(f) Tom. 3. dissert. 6. c. 1. p. 605. Edit. Lugd. ann. 1675. in 12.
(g) Prolegomenis de Jure belli et pacis §. 52.

»Philosophia alicujus poterat esse usus. Saepé »dixi, aurum latere in stercore illo scholastico »barbariei; et cuperem reperiri hominem pos»se versatum in hac Hiberna, et Hispana »Philosophia; propensum, atque aptum ad »eruendum ex ea quod habet boni. Sum enim »certus, laborem ejus compensatum iri detec»tione plurium veritatum pulcherrimarum, »magnique momenti." (h)

7. Inter Scholasticos autem veluti Sol inter minora sydera effulget Stus. Thomas, cujus profunditatem ingenii cum Demosthenis profunditate comparat Morhofius. (i) Et Franciscus Vargas Concilii Tridentini Orator, eximiusque Jurisconsultus ita de Angelico Doctore loquitur: »Is, ut in omnibus aliis, quae ad Mora»lis Philosophiae cognitionem pertinent, adeo »semper fuit diligens explorator veritatis, ut »nihil abditum, nihil remótum, nihil obscu»rum esse permiserit; sed omnia exposita, »prompta, ipsa denique luce clariora fecerit. Huic uni in sapientiae studiis plus debeo, quam »infinitis Jurisperitorum verbosis commentariis: »nudé, breviterque veritatem exponit; et omis»sa inani auctorum, opinionumque citatione,

(h) Tom. 5. Epist. 3.
(i) Polyst. tom. 1. lib. 2. c. 1. §. 45.

»solida via incedit, rationibusque invictis per »omnes adversitates viam sibi,aliisque sternens... »Nolui D. Thomae nomen subticere, tum ut »mea augusto ejus nomine magis probentur; »tum ut omnes adhorter ad Virum illum cog- »noscendum, qui non Physicis magis et Teo- »logis, quam Jurisperitis est necessarius: qui »si eum legissent, intellexissentque, Deus bone, »quantum ignorantiae, quantumque turpis er- »roris é libris suis, atque animis eximere po- »tuissent!" (j) Atque Grotius Benjamino Mau- rerio roganti ipsum rationem studii utiliter im- pendendi in Morali doctrina ita rescripsit: »Neque poenitebit, ex scholasticis Thomam »Aquinatem, si non perlegere, saltem inspicere »secundae secundae partis librum, quem Sum- »mam Theologiae inscripsit, praesertim ubi de »Justitia agit, ac Legibus." (k) Et Georgius Paschius postquam vocat lectiones Ethicas D. Thomae opus doctum, et utile ait: »Praes- »tabit non contennendum usum ejusdem Tho- »mae Summa Theologiae, et in primis secun- »da secundae, ut vocatur, qua de rebus prac- »ticis tam ampla doctrina continetur, ut viri

---

(j) De Episcop. jurisdic. et Pontif. Max. auct. con- firm. 2.

(k) Epist. 54.

»ingenium, et judicium mirari satis non pos-
»simus." (l) Denique Gabriel Naudaeus ait:
»Stum. Thomam esse in Ethicis omni laude,
»et commendatione majorem, et nihil non
»docte, ac sapienter protulisse." (m) Haec est vera laus, quae ex hominibus haeterodoxis, et Scholae adversis habetur.

8. Recentes isti haeterodoxi, qui de Jure isto scripserunt in maximos errores saepe labuntur; unde non tantum laudis eis debetur, quantum nonnulli putant. Quae autem meliora tradunt ab Scholasticis sunt mutuati, quos tamen tanquam nugaces et barbaros sermone traducunt, cum et ipsi iisdem vitiis laborent. Sed bene habet, quod plures cordati scriptores, et quidem ex ipsis eorum audaciam, et impudentiam mascule castigant. Heineccius de omnibus juris Naturalis scriptoribus Protestantibus ita scribit Praefatione Elementorum juris Naturalis: »Quicumque adhuc in
»pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi
»doctrinas suas vel nulli certo, et indubio prin-
»cipio superstruxerunt, veritates varias, easque
»utilissimas veluti uno fasce collegisse con-

(l) Introduct. in rem litterar. moralem veterum sapientiae Antistitum. c. 2. §. 12.

(m) Bibliographiae Politicae pag. 20. et 36.

»lenti, vel principia parum idonea admiserunt, »vel ea denique tam longe ex subtilissimis, »quas Metaphisica suppeditat, notionibus pe- »tierunt, ut data veluti opera tenebris omnia »involvere voluisse videantur." Loquebatur de Grotio, Puffendorfio, Thomasio, Wolfio, et aliis. Et Samuel Coccejus, qui anno 1751. scribebat, ait: »Disciplinam juris Naturalis, et »si simplícissimis, nobisque innatis constat »principiis, adeo intrincatam reddire illi, qui »de Jure dicto scripserunt, ut ipsa existentia »ejusmodi juris pluribus suspecta visa fuerit." (n) Insignes profecto Magistri, qui ita jus Naturale docent, ut ejus existentiam suspectam reddant!

9. Non parum utilitatis et fructus percipiet studíosus hujus juris ex lectione librorum Graecorum, et Romanorum, Historicorum, Philosophorum, Oratorum, Poetarum, atque etiam ex legibus vetustissimarum Gentium, maximé Romanorum, quorum leges XII. Tabularum M. Brutus omnium Philosophorum Bibliothecis praeferebat. Et sane negari non potest illas licet paucis verbis comprehensas multum sapientiae continere, et veterum Ju-

---

(n) In dissert. proem. ad Grotium lib. 1. c. 3 §. 32.

risconsultorum peritiam abunde testari. Sit in exemplum lex lata in parricidas, quae licet paucis verbis comprehensa, multum sapientiae recondit, si rationem legis attendas: En lex: „QUI PARENTEM NECASSIT CAPUT „OBNUBITO: CULLEOQUE INSUTUS IN „PROFLUENTEM MERGITOR." Legis autem hujus rationem tradit, et reddit Divinus ille Marcus Tullius, non minus eximius Jurisconsultus, quam eloquentissimus Orator in oratione pro Sex. Roscio Amerino accusato hujus criminis. Verba ejus sunt: „Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen „dejici. O singularem sapientiam, Judices! non„ne videntur hunc hominem ex rerum natu„ra sustulisse, et eripuisse, cui repente coe„lum, solem, aquam terramque ademerunt. „ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, „careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia „nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus „objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus „attigissent, immanioribus uteremur: non sic „nudos in flumen dejicere, ne cum delati es„sent in mare, ipsum polluerent, quo caetera, „quae violata sunt, expiari putantur. Denique „nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus „partem ullam reliquerint. Etenim quid tam

»est commune, quam spiritus vivis, terra mor-
»tuis, mare fluctuantibus, lius ejectis? Ita vi-
»vunt, dum possunt, ut ducere animam de
»coelo non queant: ita moriuntur, ut eorum
»ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus,
»ut nunquam abluantur: ita postremó ejiciun-
»tur ut ne ad saxa quidem mortui conquies-
»cant." Hactenus ille: cujus verba magnis clamoribus á populo Romano excepta sunt, ut ipse in Oratore testatur.

Primus anno ab V. C. DCL. Publicius Malleolus, matre interempta, culleo insultus et in mare praecipitatus est, ut ex Epitome Liviana lib. LXVIII. intelligitur. In culleo inserta etiam haec animalia: Vipera, Simia, Canis, Gallus. Id ob hac rationem factum: quia Vipera nascendo enecat matrem, et coeundo marem. Simia inserta quod foetum arctiore complexu strangulat. Inserti denique Canis et Gallus, quia nec ipsi propio sanguini et generi parcunt. Vide, sis, Janum Vincentium Gravinam de Ortu et Progressu Juris Civilis lib. 2. c. 63.

10. Non est tamen ob id credendum omnia, quae in antiquorum libris reperiuntur ad jus istud spectantia, vera esse; nam plures saepe errores in ipsis deprehenduntur; sed

ex ipsis humani intellectus errationibus discere possumus.

11. Plures hujus juris scriptores, qui soeculo decimo octavo nuper elapso extiterunt, lectione dignissimi, ut Daniel Concina, Joannes Franciscus Finettus, et alii. Maximé autem interest addiscentis evolvere diligenter compendia recentiorum Heinecci, et Genuensis. Hic postremus licet scripserit tractatum quemdam de Jure et Officiis, in Elementis tamen Christianae Theologiae denuo de eâdem re ita egit, ut soliditas, eruditio, perspicuitas, et brevitas inter se de palma certent.

12. Historiam hujus juris optimé scripsit vir eruditionis propé infinitae Joannes Franciscus Buddeus; qui tamen, ut Lutheranus caute legendus.

13. Quae Joannes Andreas ea de re scripsit tomo decimo Historiae totius Litteraturae utilissima studioso hujus juris esse censemus, nam et originem, et progressus, et suum de singulis Scriptoribus judicium eleganti et brevi stilo exponit.

DE JURE NATURALI SPECIATIM,
sive de hominis Officiis.

14. OFFICIORUM divisionem tradit Apostolus cum ad Tit. 2. c. v. 12. hortatur, »ut abnegantes impietatem, et saecularia desi»deria, sobrie, juste, et pie vivamus in hoc »soeculo.« Id est: Pie ad Deum, sobrie ad se, juste ad proximum, ut interpretatur D. Thomas in hunc locum lect. 3. atque juxta hanc divisionem assertiones nostras exponemus.

DE OFFICIIS ERGA DEUM.

15. CUM omnia bona quae habemus á Deo sint, naturalis ratio dictat, ut illi grati animi officia exhibeamus. Officia autem ista quaedam ab anima, quedam á corpore exhibenda sunt, nam cum utrumque a Deo acceperimus, utroque sane Deo famulari debemus.Sunt autem Officia animae sive interna praecipué Amor, Timor,et caetera quae ex his duobus quasi fontibus proficiscuntur. Collectionem horum internorum Officiorum appellant cultum internum. Officia autem corporis, sive externa sunt adoratio, sacrificium, oblationes, primitiae, decimae, vota, jusjurandum, laudes Dei. Omnia ista Officia nomine cultus externi cognoscuntur.

16. Hunc cultum Deo deberi usque adeo certum est, ut naturae vox ista sit: Supremum Numen colito: atque vocem naturae audimus cum consentionem omnium gentium sequimur, nam omni in re ut praeclare Tullius, consensio omnium gentium lex naturae putanda est. (o) Omnes autem gentes consenserunt in colendo Deum et quidem publico cultu. Hujus consentionis testis est Plutarchus dum ait: Potius conspiciendam sine solo urbem, quam sine Deo et Religione. (p)

17. In Religione autem cavenda est superstitio, quae nihil aliud est, quam cultus falsi Numinis, aut cultus veri Numinis sed modo indebito.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SE IPSUM.

18. CUM Deus velit omnia creata conservari, inprimis ipsum hominem, naturalem ei amorem sui ipsius indidit, qui illum ad conservationem sui excitaret. Hinc primum Officium hominis erga se ipsum est se conservare. Secum dum, se perficere. Ast cum homo et anima et

(o) Tuscul. quaest. lib. 1. n. 13.
(p) Lib. adv. Colotem. c. 28.

corpore constet, utrumque conservare, et perficere renetur. Dicendum primo de anima.

19. Animae autem perfectio in hoc consistit, quod homo praecipuas facultates ejus intellectum, et voluntatem perficiat. Nemo se perficere potest nisi penitus se ipsum agnoscat: sapienter igitur Graeci Philosophi monebant: Nosce te ipsum; idest animi penetralia introspicito, ut curare possis, siqua malé sint affecta.

20. Perficitur intellectus acquisitione veritatis, pervenitque ad verunm diligenti sui cultura, qua et vitia, morbi, brevitas, praejudicia falsa curantur; et capacitas, acumen, ratiocinandi aequitas, profunditas, habitus scientifici acquiruntur. Quicumque igitur aut hanc culturam negligit, et animum quasi sylvescere sinit, aut qui non rite hanc culturam instituit, inanibus scientiis navans operam, quae hominem meliorem non efficiunt; aut data opera intellectum praejudiciis et erroribus corrumpit, aut studiorum intemperantia corpus simul, et animam perdit, is adversus naturae legem peccat. Huc pertinent, quae de studio sapientiae passim monet Salomon in Proverbiis, qui liber Erasmi ipsius judicio nocturna, diurnaque manu versandus est.

21. Perficitur etiam Voluntas diligenti

ejus cultura, qua pravae affectiones, habitus mali, pigritia, taedium evelluntur; acquiruntur vero habitus virtuosi. Ad evellendas pravas animi affectiones necesse est, vitare ea omnia, quibus nostrae appetitiones irritantur, atque ea comparare, quibus ipsae sedantur. Quod qui praestiterit, quantumvis ferus animo sit, hac cultura mitescet, juxta illud Horatianum:

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.

Si modo Culturae patientem commodet aurem. (q)

22. Hinc sequitur fugiendas esse feminarum familiaritates, et confabulationes, cum eas adire opus non fuerit. Ad id nos Sacrae Litterae hortantur cum in aliis locis, maximé in libro Ecclesiastici his verbis: Virginem ne conspicias, ne forté scandalizeris in decore illius. Apposité ad rem Hieronimus: »Mulier est »ignis, vir stupa, diabolus exsufflat; quis non »ardebit.« (r)

23. Choreas etiam, saltationes atque spectacula fugere debemus. Quantum hujusmodi spectaculis permotus olim fuerit Augustinus, sic fatetur: »Rapiebant me spectacula Thea-

---

(q) Lib. 1. Epist. 1.

(r) Ad Eusthochium

»trica plena imagnibus miseriarum mearum et »fomitibus ignis mei.« (s) Et certe nihil aliud ibi discitur, quam ars explendi libidines. Verissime Sanctus Cyprianus: »Discit et facere, »dum consuescit videre.« (t)

Quantam moribus perniciem inferant ludi scenici, non semel confessi sunt ipsimet Scriptores Gentiles. Ovidius sic cantat: Ille locus casti damna pudoris habet. (u)

Idemque Ovidius Augustum sic monet:

Ut tamen hoc fatear, ludi quoque semina praebent.

Nequitiae: tolli tota Theatra jube,

Peccandi causam quae multis saepé dederunt. (x)

Atque noster Seneca scribit: »Nihil est tam »damnosum bonis moribus, quam in aliquo »spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior. Nemo nostrum ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.« (y)

(s) Lib. 3. Confess. c. 2.
(t) Lib. de Spectac.
(u) De arte amandi lib. 1. v. 18.
(x) Tristium lib. 2.
(y) Epist. 7.

24. Iram etiam sedulò cohibere debemus, nam nihil est similius insaniae, atque Ennius principium dicit insaniae. Sicque hominem ratione pollentem omninò dedecet, juxta illud Nasonis:

Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira; nigrescunt sanguine venae;
Lumina Gorgoneo saevius igne micant. (z)

25. Avaritiam ex animo destestari debemus, nisi velimus miseram miseré vitam vivere. Hinc vetus Proloquium: Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Miseram avari conditionem vividis coloribus depinxit M Plautus in Fabula Aulularia, in qua avarus senex Euclio cum haberet aulam auri plenam, tam misere vivebat, ut cum manus lavabat, plorabat aquam profundere. Et si ex suo tigillo fumus unquam exibat, Deos omnes invocabat, atque se eradicari clamabat. Tandem ipse se ob nimiam avaritiam defraudat atque aulam amittit. Apptissimé Madama Dacier in versione Gallica hujus Fabulae hunc titulum ei indidit: Avaritia á se ipsa delusa. Legenda Fabula. Prae oculis etiam habere debemus praeclara illa Senecae verba »Divitias congerimus, altera die morituri." (aa)

(z) Lib. 3. Amor. w. 14. 15. 16.
(aa) Epist. 20. ad Lucium.

§. 26. Ut paucis dicamus omnes omnino pravos affectus ex animo nostro evellere debemus, maximé autem praecedentibus assertionibus memoratos, atque libidinem, et otium, sive vitam ab omni cura vacuam. Adversus libidinem insigne remedium est fuga omnium ocasionum; in quibus castitas, vel pudicitia periclitatur, parsimonia, sive frugalitas in cibo, et potu, juxta illud Terentianum: Sine Cerere, et Bacho friget Venus (bb) Otium malorum plurimorum radix est feracissima, ut Divina Oracula docent »his verbis: Multam malitiam docuit otiositas « »(cc) Agnoverunt id etiam Pagani. Catullus cecinit: Otium et reges prius et beatas perdidit urbes. (dd) Adversus illud sic S.tus Hieronimus nos monet. »Facito semper aliquid operis, »ut te semper Diabolus inveniat occupa»tum. (ee)

§. 27. Pravi animi affectus curantur virtutibus ipsis adversis, comparantur virtutes lectione Sacrorum Librorum,qua quis potest esse homo perfectus, et ad omne opus bonum instructus,ut loquitur Apostolus. (ff) Atque etian alio-

D

(bb) In Eunucho.
(cc) Eccles. c. 33. v. 29.
(dd) Elegia 50.
(ee) Ad Paulinum.
(ff) Ad Ephesios.

rum piorum librorum lectione: exempli gratia Librorum piissimi, doctissimi, atque eloquentissimi Ludovici Granatensis, maxime libri inscripti ducis peccatorum,quem nostra lingua appellamus Guia de Pecadores, qui quidem omnem laudem superat. Ad id etiam conferunt plures Gentilium libri, ut Tulli, praecipue Tusculanarum, et Officiorum, Senecae, Epitecti. Atque libris hujus postremi, nempe Epicteti Aurelius Augustinus post suam ad Deum conversionem ita delectabatur, ut illos quotidié legeret, atque plures ex his fructus carperet, quemadmodum de ipso testatur Possidius. (gg)

28. Praetèr remedia ista moralia superius exposita, physica etiam, vel naturalia ad curandos animi morbos Juvant. Cum enim corpus in animam agat et vicissim, lìcet modus, quo id fiat, nos lateat, juxta corporis complexionem, et humores praedominantes affectus animi irritantur: sic sanguinei sunt ad voluptates et delicias proni, melancholici ad suspicionem,odium, desperationem, aliique ad alia. Hinc quisque debet cognoscere peccantem proprii corporis humorem, cujus causa ad pravos affectus irritatur ejus animus, illumque corrigere satagat

---

(gg) In ejus vita.

medicamentis aptis. Quae ista sint sciet, si mortuos, aut vivos Medicos consulat, sive ut planius dicamus, legat Medicorum libros, aut si id non potest, curantes humana corpora vivos Medicos adeat. Ast de animi affectibus satis nos dixisse ducimus. Qui ea de re pleniorem notitiam desideret, adeat Aristotelem in libris Ethicorum, D. Thomam in Pa. Sdae. et Sda. Sdae. M. Tullium in libris inscriptis Quaestiones Tusculanae, Cartesium de Passionibus, vel Afectibus, et Doctissimum, atque Eruditissimum Emmanuelem Martinum Decanum Alonensem in opere affecto, et inscripto Peripaton, atque Ludovici Antonii Muratorii delicatissimi palati scriptoris libros de Morali Philosophia nemo debet praetermitere. Nunc de corpore erit agendum.

29 In corpore spectantur vita, salus, integritas, ornatus, de singulis ordine dicemus.

30. Vitam corporis conservare tenemur, sicque adversus naturam peccat qui non comparat necessaria ad vitae conservationem, aut violento conatu eam sibi aufert, ut laqueo veneno, ferro. Praeclare Sanctus Augustinus: »Praestat ut de homine intelligamus illud quod »dictum est, Non occides neque alterum: ergo »neque te. Neque enim alium quam hominem

»occidit, qui se ipsum occidit." Et Lactantius: »Sicut in hanc vitam non nostra sponte »venimus; ita rursus ex hoc domicilio cor»poris, quod tuendum nobis assignatum est, »ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc »corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec »jubeat emitti." Cultiores etiam gentes hoc crimen fuere detestatae. Athenis AEschinis tempore, ejus, qui se interfecisset, manus seorsim á corpore sepeliebatur, teste AEgesippo. Apud Romanos cautum fuit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur, ut Servius afirmat ad 12. AEneidis. Et Arabes, ut ex Jobo discimus Indi etiam, Strabone docente. Atque Virgilius in Tartaro locum adsignat iis,

--------qui sibi laetum
insortes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas.

31. Neque propter tuendam virginitatem, aut castitatem licitum est se occidere, ut docet Sanctus Augustinus primo libro de Civitate Dei hoc potissimum argumento, quod virtutes istae animi sint potius, quam corporis; adeoque vi auferri non possunt. Itaque gravissimé reprehendit factum Lucretiae Romanae, quae ut scelus admissum vindicaret, id est ut pur-

garet adulterium, homicidium admisit. Enim vero dum animus insons est, refert parum, impetu facto violetur, nec ne corpus. Tamen Sanctus Hieronimus id licere docuit in Commentariis in Jonam capite primo dicens: »Non »licet mihi propria perire manu, absque eo, ubi »castitas periclitatur." Sed Hieronimus ut homo, suo judicio fallitur.

32. Plures qui in Veteri Testamento se ipsos occiderunt ut Samson, quaedamque Virgines in Novo qualis Sophronia sub Maxentio, Tanara sub Sexto Aurelio, et illae, quas laudat Procopius sub Cosroe Persarum Rege minime peccarunt, neque juris Naturalis fuerunt legirupae. Nam de Samsone sic scribit Sanctus Augustinus: »Nec Samson excusatur, »quod se ipsum cum hostibus ruina domus »oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus »hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat." Et de Virginibus istis Novi Testamenti idem Augustinus inquit: »Hoc fecerunt non huma»nitus deceptae, sed divinitus jussae; non »errantes, sed obedientes."

33. Proprii corporis saluti ita prospicere debemus ut cum morbo laboramus, remedia certa, aut saltem probabilia quae facilé comparari possunt, lege naturae suscipere teneamur.

34. Contra vero si incerta sunt comparatu difficillima,et gravissimum allatura dolorem;nam natura non exigit á nobis, ut incommodis aequalibus, vel majoribus aliis resistamus. Itaque vera est illa Marii Romani vox dum crus illi aperiretur; »Non est tanto dolore digna salus."

35. Membrorum nostrorum integritatem sic curare debemus, ut nobis non liceat ea mutilare nisi propter conservationem totius corporis. Totos enim nobis natura commendat.

36. Hinc est quod non liceat testiculorum mutilatio ad sedandos carnis motus. Unde factum Origenis Adimantii, qui se castravit, ut incontinentiae periculum vitaret, merito damnatur, quamvis ejus voluntas laudetur.

37. Cum valentes sumus ita corpus nostrum tractare debemus, ut neque nos laedamus, neque ab aliis laedi patiamur.

38. Qui ergo intuitu alterius vitae corpus ita affligit, ne insolescat, ut morbos, vulnera, mortem in ipsum inducat, legis Naturae sine debio est legirupa. Apposite ad rem Paulus »Nemo enim unquám carnem suam odio ha- »buit: sed nutrit, et fovet eam, sicut Christus »Ecclesiam.« (hh)

(hh) Ad Ephesios cap. 5. v. 29.

39. Sed qui carnis macerationes ut jejunia, flagella, humi cubationes, aliasque ita adhibet ut corpus neque extinguatur, neque ita foveatur, ut ejus appetitiones in aefrenatas libidines erumpant, prudenter se gerit. Hin idem Paulus monet: „Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, et statim subjungit prudens: rationabite „obsequium vestrum." (ii)

40. Unde colligimus Insignes illos antiquos poenitentes, de quibus passim in Ecclesiastica Historia fit mentio, qui lethales sibi morbos intulerunt, gravissime peccasse; nisi singularis Spiritus Sancti impulsus, bona fides, ignorantia, vel simplicitas eos excuset. Sic Sanctus Bernardus confitetur se pecasse quod nimis corpus suum jejunio et vigiliis debilitavit. (jj) Et Sanctus Hieronimus ait: „De rapina „holocaustum offert, qui vel ciborum nimia „egestate, vel penuria somnii immoderate cor„pus affligit." Et iterum: "Rationalis ho„minis dignitatem amittit, qui jejunium chari„tati, vigilias sensus integritati praefert." (kk)

41. Corpus etiam ab externa vi tenemur

(ii) Ad Romanos c. 12. v. 1.
(jj) Apud B. Thomam Quodlibet. 5. art. 18.
(kk) Apud B. Thomam loc. cit.

defendere, modo sit injuste illata. Hinc nobis licet injustum vitae invasorem occidere cum moderamine inculpatae tutelae. Id est, ut minimum malum, quod possimus, invasori inferamus, idque animo tantum nos tuendi, non vero nocendi. Hinc secundum jura vim vi repellere licet. Et Tullius: „Est igitur haec... „non scripta, sed nata lex: quam non didici„mus, accepimus, legimus: verúm ex natura „ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad „quam non docti, sed facti; non instituti sed „imbuti sumus; ut, si vita nostra in aliquas „insidias, si in vim, si in tela aut latronum, „aut inimicorum incidisset, omnis honesta ra„tio esset expediendae salutis." (11)

42. Hoc autem jus se tuendi viget, licet invasor injustus sit persona publica, ut Magistratus, etiam proprius Pater. Natura enim vim patientem inclamat: Serva te ipsum.

43. Corporis ornatus talis esse debet, ut ostendat illum necessitate tegendi corpus fuisse inventum; non ostentationis, et luxus caussa. Sit mundus, nam mundities sanitati convenit, sed non luxuriosus. Hanc moderationem nos admonent Divina Oracula. Paulus ad Timo-

---

(11) Pro Milone n. 4.

theum ait: »Habentes alimenta et quibus te-»gamur, his contenti sumus." (mm) Et alibi vult, »ut Mulieres ornentur habitu decoro, cum »verecundia, et sobrietate." (nn) Idem docuerunt Patres. Ambrosius ait: »Decor corporis »non sit affectatus,sed naturalis, simplex, neglec-»tus magis quam expeditus, non pretiosis et »albentibus ab intus vestimentis, sed commu-»nibus, ut honestati, vel necessitati nihil desit, »nihil accedat nitori." (oo) Et etiam Gentiles hanc moderationem in vestibus commendant. Seneca sic praecipit Lucilo: »Toga nec sor-»deat, nec niteat, munditiam non luxum exigit »Philosophia." (pp) Legenda Quaestio CLXIX D. Thomae duobus Articulis contenta, quae quidem omni auro est pretiosior. Secunda Sdae.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS homines.

44. HOMO natus est ad societatem cum aliis hominibus ineundam.

45. Eos tenetur amare sicut se ipsum: unde neminem laedere debet.

(mm) ult. cap.
(nn) Ad Timot.
(oo) Lib. 1. de Officiis.
(pp) Epist. 5.

46. Siquis autem alterum laedit, tenetur, quantum possit, resarcire illatum damnum.

47. Laeditur homo vita, fortunae bonis, fama, animo.

48. Qui neminem his bonis laeserit, sed debita officia exhibeat optimus est civis.

49. Ut autem hominum societas, servetur indiget moderamine certo. Societatem servare hoc certo moderamine ad Summos Imperantes, vel summan Imperii tenentes spectat.

50. Servatur maxime Societas, vel Respublica vitiorum expulsione. Hinc Virgo Plautina in Persa interrogata á Sagaristione: Satin' Athenae tibi visae fortunatae, atque opiparae? prudenter, et sapienter respondet: Urbis speciem vidi, hominum mores perspexi parum. Rursus interrogat Sagaristio: Quid id quod vidisti: ut munitum muro tibi visum est oppidum? Statim Virgo: Si incolae bene sunt morati, pulchre munitum arbitror.

Perfidia et Peculatus ex urbe et Avaritia si exulant, Quarta Invidia, Quinta Ambitio, Sexta Ob trectatio, Septimum Perjurium, Octava Indiligentia: Nona Injuria: Decimum, quod pessumum aggressu, Scelus: Haec nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.

51. Non tenentur tamen omnia vitia prohibere; nam id publicae felicitati, quam procurant, maxime obstat. Hinc quaedam vitia permitere debent; ne majora proveniant. Prae oculis habere debent illud Phaedri, quod in proloquium evasit: Minima de malis. Et illud Aurelii Augustini: » Aufer meretrices de rebus »humanis turbaveris omnia libidinibus." Quae praeclara Augustini verba satis ostendunt, quam probe ille et hominis, et societatis naturam calluerit. (qq)

52. Cavere tamen debent ne sua larga permisione vitia in Rempublicam inducant; sed ea permitere tantum quae vitare non possint ipsi sine detrimento Publicae Felicitatis.

53. Tenentur etiam bonos, industrios que viros proemiis afficere, bonas artes atque utiles inducere in Rempublicam, easque fovere, Sapientes quaerere, atque doctrinae, et disciplinae destinare. Quod ad Publicam Felicitatem maxime confert. Hinc illud: » Multitudo sapien» tium sanitas est orbis terrarum." (rr)

54. Quicumque velit sive privatus, sive publicus civis officia sua cognoscere, libros et antiquos et recentes ea de re tractantes quae-

---

(qq) Lib. 2. de Ordine c. 4.
(rr) Sapient. c. 6. v. 26.

rat diligenter, et accurate legat. Nos enim jam operi finem imponimus, optantes cum Apostolo, ut nos omnes abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrié, juste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Quam, faxit Deus! nos omnes ejus gratia consequamur. Amen.